

affectabant, dicens: *Scitis quod principes gentium domi-*  
*nantur in eas, & qui magni sunt, licentia utuntur in eas, ve-*  
*rum non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos*  
*magnus fieri, sit vester minister, Luc. XXII, 25.* Quid igitur  
 de fastu pontificum Romanorum, quid de episcopis Ro-  
 manæ ecclesiæ dicendum? Vocantur quidem magi-  
 stratus civiles Rom. XIII, 4. *διακονοι θεου*, sive *ministri*  
*Dei*, sed simul apostolus eod. cap. v. i. tribuit iis  
*εξουσιαν*, *potestatem*, inter quam & ecclesiasticam magna  
 est differentia. Queruntur de ista pontificum arro-  
 gantia *Protestantium Status*, nec non de iis, qui non  
 satis distinguunt potestatem ecclesiasticam & civi-  
 lem. *Magnæ disputationes fuerunt*, (ita loquuntur ar-  
 ticulo VII. de mutat. abus.) *de potestate episcoporum,*  
*in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem Ec-*  
*clesiasticam & potestatem gladii.* Et ex hac confusione  
*maxima bella, maximi motus exstiterunt, dum Pontifices*  
*freti potestate clavium, non solum novos cultus institue-*  
*runt, reservatione casuum, violentis excommunicationi-*  
*bus conscientias oneraverunt, sed etiam regna mundi trans-*  
*ferre, & imperatoribus adimere imperium conati sunt.*  
 Plura de potestatis Ecclesiasticæ & politicæ discrimine  
 continentur in articuli modo citati apologia, nec non  
 in articulis smalcaldicis. Sed pertinet hæc tractatio  
 ad doctrinam de jure episcopali. Mihi propositum  
 nunc est agere *de ministerio in se spectato, & ministris Ec-*  
*clesiæ.* Quorum potestas non in cogendo sed in dirigen-  
 do sita est, talis propemodum, qualis est docentis in  
 discipulum, aut medici in ægrotum. Principes etiam  
 nolentibus imperant, ecclesiæ ministri volentibus  
 prædi-